QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS X. IANVARII,

M. PETRO SEGVYN Doct. Med. Regi à Consil. Reginæ Medico prim. & seniore Decano Moder.

An Hystericis quibuscumque venæ sectio? 823



DMIRABILIS quædam & inexplicabilis cupiditas mares feminásque ad ἀιόντα æqualiter incendit, conflagrat alter alterius desiderio, & cœco sed mutuo carpitur igne. In viris quæ insita vis est vehemens atque imperiosa furiosarum libidinum violentia sibi cunctà subiicere conatur. In feminis vulua genio defraudata indignatur, ac per corpus vniuersum plurimùm deerrans, infinitis vexat angustiis & omni malorum morborúmve genere premit. Non est tamen idcirco animal, pars princeps & multò minùs cuiuspiam vel etiam imperfecti sola procreatrix.



NTER mala quæ iratus vterus suscitare consueuit, nullum est nec sociorum symptomatum fœturâ & multiplicitate ferocius, nec curandi difficultate Medicis formidabilius, quàm suffocatio vterina: in hac enim jecur premitur, cor suffocatur, cerebrum turbatur & totum corpus quatitur. Hac diuexatæ mulieres horrent, timent, vociferantur, & Dæmonibus circundari se autumant. Quid plura? flent ridéntque vno propè temporis momento; nunc in puteos demergi & strangulari postulant, & subinde repentina voluptate reficiuntur. Vno verbo, quas morti paulò antè addixeras, illico valentes conspicis? adeo immanis isthæc affectio est, tot sese vertit in ora; tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.



TERVS in συνουσίᾳ voluptatis potens fabricator, nihil non molitur, vt eam sibi & vniuerso corpori impertiat; motus cuiuscumque generis perficit; errorum ac agitationum vteri infinitus est numerus. Nunc veluti auxilio quod extrinsecus spectat, obuiam iturus ad inferiora descendit, nunc cursu præcipitato ad superiora rapitur & ad ἰχμαλέον hepar viam dirigit, vt quod ab eo vi societetis & mutui commercij beneficio, obtinere non poterat, hoc viciniæ iure extorqueat. Quapropter Tantaleę sæuitiæ author esse videtur, qui vtero sitim ad sanguinis fontem sedare cupienti, sanguinem sectâ venâ subripit



T sunt diuersæ suffocationum species; ita diuersos esse expedit earum curandarum modos. Quæcumque à suppressis menstruis contingunt, misso sanguine euanescunt: quæ verò flatulento aut exhausto laborante vtero, sectâ venâ magis excandescunt. Si soluto paroxysmo, humiditas quædam effluat è locis; quò quisque citiùs liberaliúsque illius exitum promouebit, tantò breuiùs faciliúsque paroxysmo liberabit. Sed quonam remedij genere prouocandus venit? sanè qui vitæ in angusto constitutæ idonea omnia adhibuerit, nihil me iudice, aberrabit.



VOT modis igitur genio defraudatur vterus, tot restitui redintegrarique oportet. Omne tulit punctum qui symptoma à symptomate & à suffocatione suffocationem discernere valebit. Grauis est quæ à suppresso sanguine menstruo oritur: grauior quę ab abscessu, vomica & qualibet id genus impuritate fit: grauissima quæ à putrescentis putridique seminis tabo suscitatur. Vnde vt sunt variæ hystericarum differentiæ vel pro causæ efficientis magnitudine, vel pro specierum quarumdam varietate exurgentes: ita variam esse oportet methodum curandi.

Non ergo Hystericis quibuscumque venæ sectio.

270.

Proponebat Lutetiæ PETRVS CONSTANT, Aruernus. A.R.S.H. M.DC.XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Vrbanus Bodineau Med. Reg.
M. Antonius Suart.
M. Gulielmus Dupré.
M. Philibertus M[illegible]risset.
M. Iacobus Corn[illegible].
M. Car. Guille[illegible] Christ. Reg. Med. ord. & Dec.
M. Carolus le Clerc.
M. Ioannes Bourgeois.
M. Mauritius de Monstrœil.